



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. L.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

C A P . L.

A T postquam me constanter à re uxoria abhorrentē videt, neq; ejus dictis acquiesce-re; quo saltem pudore deterritum in suam sententiam perduceret, dicebat, menon aliquo tui respectu ac reverentia, sed hominum existima-tione metuque, ab uxore ducenda refugere; quod nimirum puderet, pauperem, ignobilem & indotatam, uxorem accipere, præterea nimis misere metuerem, ne in reprehensiones ami-corum, & iram propinquorum incurrerem. Sed laterem lavit: nam mihi fixum ac delibe-ratum erat in animo, non alio amore calere, quam tuo, neque aliis amplexibus circumpli-cari, quam tuis. nam bonum est homini, mu-lierem non tangere; & qui sine uxore est, co-gitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo; qui autem matrimonio junctus est, cogitat ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Sed quo-modo absque tuo singulari auxilio possum ab-sinere à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus spiritum? quæ desideria ab utero ma-tris meæ mecum allata, vitio depravatae con-suetudinis pene in immensum excreverunt. Tu nosti, Domine, infirmitatem meam; neque eadem ita multum à notitia mea sejungitur. Sunt quidem apud me virtutis quidam stimuli ac probitatis, sed major est libido voluptatum ac vitiorum: est quædam propensio ad bonum, sed longe major est inclinatio ad malum. quo factum est, ut, toties à te misericorditer ere-ctus sublevatusque, prolaberer. & nunc qui-dem sentio aliam legem in membris meis, re-pugnantem legi tuæ; quo perpetuo periculo-soque